



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Auxibius Episc. 19. Februarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

S. AUXIBIUS EPISC.

19 Februarii.

*Non enim erubescō Evangelium,
virtus enim Dei est in salutem o-
mni credenti. S. Paul. ad Rom. c. 1.*

AVxibio patria Roma fuit, natales, & census patricii; indoles à primis annis in Christianam religionem prona. Tam nobilem civem in exilium, qui minimè debebant, Parentes egerunt. Cùm enim nuptias, ad quas hi pro imperio cogere velle videbantur, non posset aliter quàm fugâ declinare, in Cyprum abiit felicissimus exul. Nam fausto pede cùm in Marcum, Barnabamq; offendisset, ab illo fonte sancto tinctus, & Christianis junctus est. Mox Doctor pietatis ex discipulo factus, cùm primitias Deo sacrificulum Jovis peperisset, à Paulo magno Episcopus Soluntis est creatus. Mira dictu res, unicus Christi miles Auxibius totam sub jugum Evangelii urbem misit, & ne Auxibio careret, alterum Auxibium accivit, & Successorem in mōnere legit, consilium Deo probante. Nam fuit, cùm sub arbore somnum cœpit hic Auxibius, & no-
ster

ster superveniens spectavit ingens formicarum agmen à latebris suis ad dormientē iter instituere, vatesque futuræ dignitatis caput ejus in coronæ formam ambire. Itaq; Auxibio Insulam reliquit Auxibius moriens. Tumulum ejus Atylon ajunt fuisse morbidorum. Quin cum ad hunc è Papho accurrerent XL. ab orco infessi, obvius ipse Auxibius his prodiit, & cedere sibi, ut æquum erat, è viâ dæmones fecit.

Ex Surio

MEDITATIO

In Evangelium.

1. **H**OMO Christianus ea debet credere omnia, quæ sunt in Evangelio, debetque audire singula ejus verba, ut verba JESU CHRISTI. An verè, an firmiter credis omnes veritates Evangelii? An credis JESUM tuâ causâ mortuum esse, Infernum peccatores manere, & justos Paradisum? Ah! si verè crederes, sanè laborares diligentius, ut vitares infernum, & ad cælum pervenires.

2. Parum est, omnia credere, quæ docet Evangelium, bona opera accedant fidei tuæ necesse est; oportet, ut probes actionibus tuis, non habere te fidem mortuam, & vanam, sed vivam ac veram. Credis tu quidem, beatos esse, qui lugent, qui pauperes sunt, quia hoc legitur in Evangelio, ni-
hilo

hilo tamen minùs paupertatem, & luctum detestaris. *Cruz placet in aris, displicet in corde. Quousque facta tua fidei repugnabunt tuæ? Habe præ manibus Evangelium, præcipua ejus placita perpende, in eoque Evangelio, ut in speculo, miserum statum animæ tuæ perspicias, atque dices cum S. Hieron. esse Christianum, grande est: non videri.*

3. Ne pudeat te Evangelii partes suscipere adversus infideles, Hæreticos, impios, & solutioris vitæ Christianos. Evangelii causâ totum sanguinem tuum, si expediret, profundere deberes: Attamen sæpè verbulo parcis, loqui metuis, dicteria times, dum expedit, impium os debacchans in Evangelium, comprimere. *Non erubesco Evangelium. S. Paul.*

S. EUCHERIUS EP:

20. Februarii.

Omnes, qui piè volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur. S. Paulus. ad Tim. cap. 3.

EUCHERIO nascituro Infulam Aurelianaensem Angelus promisit; dedit deinde hæc Carolus Martellus; sed idem, cum aures calumniatoribus præberet, pessimo consilio ademit. Excepit Colonia exulem parum jam morantem, quâ in parte exilii potissimum